

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**De privatorum publicorumque aedificiorum urbis Romae  
eversoribus**

**Angelio de Barga, Pietro**

**[S.I.], 1656**

Petrus Angelius bargaevs. Petro vsimbardo. S.P.D. [Fließtext]

[urn:nbn:de:bsz:31-132632](#)



# PETRUS ANGELIUS BARGAEVS.

PETRO USIMBARDO. S.P.D.

**B**ETIS à me, ut tibi scribam, quibus argumentis adductus eorum opinionem minus esse veram existimem, qui Theatris, Therapis, Circo Maximo, Obeliscis, A quaductibus eversiones ac ruinas, quas in Urbe Roma videmus, à barbaris nationibus, hoc est à Gothis atque à Vandalis illatas, atque editas fuisse affirmant: tum ut ad hanc hujusmodi disputationem adjungam, quam obrem Hieroglyphicas notas, quas in Commentario de Obelisco è Græco in Latinum verti, adversante Plinii auctoritate, illi Obelisco potius tribuerim, quem Octavianus Augustus D. F. in Circo Maximo posuit, quam illi, quem Constantius Constantini F. Imperator ex Aegypto inventum in eodem loco multis post annis statuendum curavit. Ego vero, mi Usimbarde, quamquam non ignoror vocari me in eam disputationem, quæ, quod παράδοξος sit, fortasse multos adversarios mihi homini minime litigioso sit excitatura, tamen, ut intelligas amorem à me tuum sic amari, nihil ut sit, quod tu à me jure tuo non modo petere, sed etiam exigere & possis, & debeas, non verebor de tanta re, hoc est de tantarum substructionum ruinis ea in hanc scriptiōnē conjicere, quæ me in eam mentem impulerunt, ut à vulga-

A

ta

ta omnium opinione dissentirem. in quo, si quod con-  
 bor, minus præstare fortasse potero, ego me eo proverbio  
 consolabor, quo docemur πάντα καλά είναι δι' σκολα. nam  
 ut hoc non succedat, nulla certè reprehensio tam illustrem  
 & periculosum conatum consequetur. Etenim, ut poe-  
 ta valde bonus testatum reliquit. *In magnis voluisse sat est.*  
 Quid autem majus ac difficilius esse potest, quam inveterata-  
 tam, atque in omnium animis penitus defixam opinionem  
 convellere? quod tamen tantum abest, me ut à proposito  
 deterreat, ut ad liberandam à calumnia tam invictam at-  
 que illustrem nationem acrioribus etiam stimulis urgeat.  
 Nec tamen is sum, qui à grè latus sim, si quis extiterit, qui  
 argumentationes & conjecturas meas minus probaverit.  
 par enim est, ut unusquisque id sentiat, quod adveritatem  
 proprius accedere in primis arbitratur. Ego certè, cum in-  
 eadem essem opinione, in qua, nisi fallor, cæteri propemodo-  
 dum omnes versantur, quereremque illustrium Scriptorum  
 auctoritates, quibus hujusmodi opinionem firmiter  
 stabiliorem, in ea loca incidi, quæ me in contrariam par-  
 tem vel invitum & nolentem abduxerunt. Atque hæc ut  
 me fortasse deceperint, aliis certè ingrata esse non debe-  
 bunt, si verum illud est οὐδὲν γλυκύτερον, ηπάντα εἰδέναι: idq;  
 tanto magis, quod, quæ à me dicentur, ita dicentur, ut si-  
 quis meliora in medium attulerit, ei ego sim non modo  
 acturus, sed etiam habiturus gratias immortales: quando  
 nullum beneficium ab ullo majus accipimus, quam cum  
 ab errore liberamur. Sed ne diutius suspensa, oratione mea,  
 expectatio tua teneatur, sic ad causam aggrediar, ut ὅμηρικῶς  
 ὑστερού πρότερον ad propositas mihi abs te quæstiones respon-  
 deam. Cum igitur Hieroglyphicas illas notas ex Herma-  
 pionē Latinè interpretarer, atque Ammiani auctoritatem  
 secutus Obelisco illi tribuerem, quem Augustus in Circo  
 Maximo posuerat, non ignorabam me id facere, quod in  
 dubium

dubium ab aliquo revocari posset, qui apud Plinium, cùm de duobus Obeliscis Augusti loquitur, hæc verba legisset. *Inscripti ambo rerum naturæ interpretationem Aegyptiorum opere philosophia continent.* Quis enim tam hebes est, qui non intelligat, hæc si vera sunt, illud falsum esse, quod Ammianus testatur? Neque ego tam parum in legendō diligens existimari aut debeo aut possum, qui cum totum illud caput interpretatus in Commentarium meum De Obelisco retulerim, ea verba vel imprudens vel oscitans præterierim, quæ se etiam aliud agenti legenda offerebant. Sed cum viderem me eò esse adductum, ut aut cum Ammiano, aut cum Plinio sentirem, placuit, ut ab illo potius, quam ab hoc starem. neque hujusmodi consilii mihi esse reddendam rationem censui, quod neque Plinium libenter accusabam, neque longior in disputando esse volebam, quam Commentarioli illius ratio postularet. At Plinius doctior, quam Ammianus, quis negat? sed idem tamen, vel eorum culpa, quorum opera in admirabili illo opere conficiendo utebatur, vel scribendi festinatione, & rerum multitudine, quas memoriarum prodendas suscepérat, obrutus atque ipsemet à se ipso abductus, à compluribus in tradenda rerum veritate parum consideratè versatus esse existimatur: usque adeo, ut vulgo etiam Plinius quodam quasi peculiari cognomeno Mendax nominetur. Quam obrem hac quidem in sequi Ammianum malui, nec, ut verum fatcar, cum me sectum esse adhuc pœnitet. quando ut hoc facerem plures causæ impulerunt. Una, quòd locum Plinii, cum ex veterum codicūm collatione, tum ex ipsa verborum inter se constructione corruptum esse animadvertebam. Quid enim est? *Inscripti ambo rerum naturæ interpretationem Aegyptiorum opere philosophia continent.* An fortasse sic interpretabimur? ut dicamus continet rerum naturæ interpretationem opere Aegyptiorum philosophiæ, præclaram

A 2

verò

verò verborum consecutionem, & Pliniana subtilita te & brevitate dignam, in qua explicanda siqui sibi vehementer placuerint, suum illis in interpretando acumen & judicium non invitus relinquō. Altera caussa est, quod Aurelius Cassiodorus lib. tertio Variarum scribit in ambobus Obeliscis, qui sunt in Circo Maximo, altero Augusti, altero Constantī *sacra Priscorum Chaldaicis signis, quasi literis indicari.* Quod si verum est Priscorum theologiam in ambobus illis obeliscis descriptam esse; præterquam quod necessariò sequitur, Plinii locum aut corrupte legi, aut id memorie prodere, quod falsum est, id etiam necessariò concluditur, Hermaphionis interpretationem Constantino Obelisco nullo modo tribui posse. Etenim si ut Cassiodorus testatur, ex Hieroglyphicæ notæ theologiam veterem complectuntur, Hermaphionis autem interpretatio nihil hujusmodi designat, sine ulla dubitatione concludi potest interpretationem illam nihil prorsus ad Obeliscum Constantianum pertinere. At Plinio potius, quam Cassiodorus assentiendum, esto. Sed ego hac quidem in re illorum ncutri magnam fidem habendam esse arbitror. quippe quos Vulgi opinionem & famam potius sequitos esse verisimile fit, quam quod aut ipsi notas illas intelligerent, aut aliquem habent, quem in Hieroglyphicis interpretandis consularent. Erat planè & Plinio & Cassiodoro-Hieroglyphicorum usus incognitus: quod ex Strabone discere possumus: qui imperante Octaviano Augusto Cornelium Gallū in Aegyptum secutus est, ejus hæc sunt verba ex libro xvii. Τῶν γεωγραφ. ι, δὲ τῇ ἡλιουτάστηκα δίκους ἐδομεν μεγάλους, εὐ έις διέτριβον οἱ ιερεῖς. μάλιστα γάρ δή τάντη καταικίαν ιερέων γεγονέναι φασὶ τὸ μαλαιόν Φιλοσόφων αὐδρῶν, καὶ αἱρεομικῶν. ἐκλέοιστε δὲ καὶ τοῦτο νῦν τὸ σύνημα, καὶ η ἀσκησις. ἐκεῖ μὲν δῆν ὄυδεσί ήμιν ἐδέκυτο τῆς τοιαύτης ἀσκήσεως προεστός, αἷλ' οἱ ιεροταῖοὶ μόνον, καὶ ἐξηγηταὶ τοῖς ξένοις τῶν περὶ τῇ ιερᾳ. Hoc est. In Urbe autem Hieropolis ingen-

ingentes domos vidimus, in quibus sacerdotes versabantur, serunt enim hanc olim fuisse sedem sacerdotum, hominum scilicet philosophiae, atque astronomie deditorum. quorum ordo & studium hac quidem etate funditus interiit. quamobrem nemo illuc nobis oblatus est, qui bujusmodi disciplinam profiteretur, sed sacerdotes tantum, & qui sacerorum rite hospitibus communis erarent. Hac Strabo. è quibus haud difficultime colligi potest id, quod supra est à nobis dictum, usum scilicet Hieroglyphicorum ea etate sacerdotibus etiam Aegyptiis ignoratum fuisse. Philosophia enim & Astronomia iis notis descripta occulebatur. quas cum intelligeret nemo, nemo etiam supererat, qui apud Aegyptios de iis facultatibus loqui posset. Itaque idem Strabo eodem in loco παρηκολούθει ( inquit ) τις ἐξ Αλεξανδρείας ἀνατέλεεται εἰς τὴν αἴγυνθον κορυφὴν γάλλων ἡγεμόνων χαιρῆμαν τούτον προσποιούμενος τοίσι τινὶ ἐπισήμην, γελώμεν. δέ τοι λέον ὁς ἀλαζῶν καὶ ἴδιωτης. Hoc est. Cornelium autem Gallum Prefectum ex Urbe Alexandria in Aegyptum navigantem Chæremon quidam secutus est, qui se bujusmodi scientia cognitione præstare simulabat: sed sape & sapius tanquam gloriosus ostentator & imperitus à nobis ridebatur. Hac Strabo. è quibus Chæremonem percipimus hominem fuisse quibusdam persimilem, qui in Regum & Principum aulis versantes, nihil cum sciant, nihil tamen se nescire profitentur. is igitur Cornelio Gallo, ut verisimile est, pollicitus se se omnia, quæ Hieroglyphicæ notæ completerentur, declaraturum, vanissimus est inventus. id enim ( nisi planè fallor ) significant ea verba προσποιούμενος τοίσι τινὶ ἐπισήμην hoc est, qui se tali quidam scientia cognitione instructum esse simulabat, id est instructum cognitione Hieroglyphicorum, quibus philosophia apud Aegyptios continebatur. Neque enim simpliciter ad philosophiæ professionem referri ea vel debent, cum & Diodorus Siculus, & Strabo, viri cum in omni do-

etinarum genere , cum in philosophia & mathematicis  
præstantes adessent, qui quod ad hujusmodi facultates per-  
tinet, hominem primo statim congressu aperire potuissent.  
Nihil est igitur dubitandum, quin ex his verbis pro-com per-  
to habere nos oporteat, regnante Augusto D. F. fuisse fer-  
mè neminem , à quo Hieroglyphicæ notæ intelligerentur,  
ut mirum non sit, si ii, qui Augusti ætatem consecuti sunt,  
cum in maxima rerum obscuritate , quod ad Hieroglyphi-  
corum cognitionem pertinet, versarentur, alii aliter eadem  
dere loquerentur & scriberent. id quod si & Plinio, & Cas-  
siodoro accidisse existimabimus, haud omnino longè à ve-  
ritate aberrasse videri poterimus, alter enim rerum naturæ  
interpretationem , alter Priscorum ceremonias & ritus ad  
religionem pertinentes iis Hieroglyphicis contineri scribit,  
quæ in ambobus Circi Maximi Obeliscis inscripta sunt. Er-  
go aut uterque, aut certè alteruter deceptus est. Ut, etiam  
si concederim Hieroglyphicorum notitiam ad Plinii , &  
Cassiodori ætatem pervenisse , tamen , quia necesse est vel  
hunc, vel illum ignorasse quid scriberet, quando in eadem  
re diversa sentiunt, sine ulla reprehensione ab utroque dis-  
sentire libere possum. cum præsertim habeam alium du-  
cem, quem sequar Ammianum scilicet Marcellinum , qui  
& Hieroglyphica ipsa ex Hermaphorionis libro interpretatur,  
& in Augusti D. F. obelisco esse inscripta testatur. Cujus  
hæc verba. Secundaque ætates alios transstulerunt: quorum unus  
in Vaticano, alter inhorti Sallustiis, duo in Augusti monumento  
erecti sunt. Quis autem notarum textus obelisco incisus est  
veveri, quem vidimus in Circo , Hermaphorionis librum secutis in-  
terpretatum literis subjecimus Gracis. quæ verba quis tam  
hebes est, qui non videat sic esse explicanda ? ut secutas  
ætates dicat, quæ Augusti, non quæ Constantii ætatem, qua  
ipsemet Ammianus vixit, consecutæ sunt. ut hominis sit  
parum omnino perspicacis, existimare Ammianum eo in  
loco

loco corruptum esse. Etenim si ipse Constantianum Obeli-  
 scum statui vidit, qui fieri potest, ut fecutas ætates eas intel-  
 ligamus, quæ ipsius auctoris ætatem consecutæ sunt? At  
 inter hæc verba, & eum locum, in quo supra de Octavianis  
 Augusti Obeliscis loquitur, ea interjecta sunt, quæ ad Obe-  
 liscum Constantianum pertinent, ut dubitare nos cogat,  
 quas ætates designet. ille vero, si ab homine attento & illud  
 agente legatur, non modo non cogit, sed ne patitur qui-  
 dem. Quoniam igitur imperante Augusto D. F. duo tan-  
 tummodo Obelisci Romam investi fuerant, quorum alte-  
 rum in Circo Maximo, alterum in Campo Martio Augu-  
 stus statuerat, enumeratis Obeliscis, qui post ætatem Au-  
 gusti in Urbem ab aliis fuisse importatos sciebat, ad Augu-  
 sti Obeliscum revertitur, qui trecentis quadraginta annis  
 & amplius ante Constantianum, Obeliscum in Circo Ma-  
 ximo locum occupaverat: ut non inepte hunc Augusti  
 Obeliscum, Veterem Obeliscum appellat, nam & ipsum  
 Octavianum Augustum *Veterem primipem*, & Obeliscum  
 Constantianum *recentem obeliscum* superius appellaverat,  
 quem ipse scilicet statui in Circo viderat. par igitur erat,  
 ut Augusti obeliscum veterem obeliscum nominaret. ad-  
 didit autem IN CIRCO ne eum intelligeremus, quem  
 in Campo Martio ab eodem Augusto statutum supra dixe-  
 rat. Nam qui legunt *Veteri quem videmus in Circo*. Velim  
 mihi dicant, quis nam auctor apud Latinos, vel Græcos  
 Circum Maximum, Veterem Circum appellaverit? quan-  
 do etiam ipsem Ammianus supra scriptum reliquit. *Quo-  
 rum unus in Circo Maximo, alter in Campo locatus est Martio.*  
 Quamquam ne sic quidem locum corrupientes, quod  
 volunt assequuntur. Nam ut legatur, *Veteri quem videmus  
 in Circo*, apertè ramen significat se loqui non de Constantii,  
 sed de Augusti Obelisco. Nam si Constantianum intelli-  
 voluisset, jam non *videmus*, sed quemadmodum antea, Re-  
 gens

cens in Circum adductum, vel Recens in Circo statutum vidi-  
 mus, dixisset. Etenim si ea vox Veteri ad Circum adjunga-  
 tur, ut de Constantiano Obelisco Auctor loqui existime-  
 tur, aut otiosa sit necesse est, aut ideo illic posita, ut Obeli-  
 scum Augusti illinc excludat. Verum ego ineptus, qui ha-  
 siccæ pueriles ineptias, & nimis anxiæ quæsitas lucubrationis  
 meæ reprehendendaæ occasiunculas tam subtiliter perse-  
 quar, & studiose refellam. quasi verò cuiquam paulo cru-  
 ditiori dubium esse possit, quod dicimus, cum rerum ordo,  
 & historiæ contextus, & verborum consecutio apud Am-  
 mianum hujusmodi sit, ut, qui secus, hac quidem in re,  
 quam nos, existimaverit, callidus potius calumniator,  
 quam disertus interpres haberi debeat. quando necesse ha-  
 bet verba apud illum Auctorem pervertere, & totum illum  
 locum, quem alii integerimum esse judicant, corruptum  
 esse dicere, ut, quam maximè cupit, sententiam non confi-  
 ciat ille quidem, sed quasi per speciem oblatam somniet.  
 Nam si nobis licet, ut nostra stabiliamus, veteres auctores,  
 quoru scripta ad nos pervenerunt, vel pervertere, vel negli-  
 gentiæ, vel vanitatis nomine sine ullo probabili argumen-  
 to non solum habere suspectos, sed etiam quasi indicta  
 caussa condemnare, jam nihil tam absurdum esse poterit.  
 quod palam atque aperte profiteri, atque asserere nequea-  
 mus. Sed quorsum hæc tam multa? nempè, ut hanc caus-  
 fam semel perorem, & orationem meam sic concludam,  
 ut, postquam nulla ætas est tam fœlix, quæ suos non habeat  
 Chæremones, & Bavios, liberum unicuique esse velim in  
 quaque re id sentire, quod maxime probaverit. nam ut  
 ego in eadem sententia constantissime permaneo, ita nihil  
 prohibeo, ut alii, quod semel fenserunt, quo jure, qua ve-  
 injuria pertinacissime tueantur, ac defendant. Suum enim  
 cuique pulcrum est: & ita se res habet, te tua, me delectant  
 mea. Neque ego eam provinciam suscepi, ut simiæ per-  
 suadeam,

suadeam, ne simiis ipsa suis turpissimis scilicet bestiis tanto-  
 pere delectetur. Nam quod Constantianum Obeliscum a  
 Cōstantino eius fratre fuisse in Vrbe Heliopoli in Solis tem-  
 plo humi depositum, & Alexandriam devectum in Com-  
 mentariolo illo meo scripserim, nihil est, quod quisquam  
 me gravius reprehendat. cum enim haberem nenninem,  
 quem sequerer, præter unum Ammianum, ea de re si clo-  
 quentem, ut percipi minime possit, Constantium ne pa-  
 trem, an Constantium filium fuisse dicat, qui Obeliscum  
 illum demolitus fuerat, ego Constantino filio huiusmodi  
 demolitionem tribuendam putavi. Quando idem Am-  
 mianus id à Constantino factum fuisse memorat, quod  
 eum Obeliscum in Vrbem Romanam importare, & illic tan-  
 quam in totius Orbis terrarum templo statuere & consecra-  
 re decrevisset. id quod in Constantium patrem parum  
 convenire mihi videbatur, cum ille non Romanus, sed By-  
 zantium urbem ornandam suscepisset, quam etiam ex suo  
 ipse nomine Constantinopolim appellari voluisset. Hac  
 igitur conjectura ductus, ut mihi quidem videtur, satis pro-  
 babili, Constantium filium Constantis & Constantij fra-  
 trem ejus demolitionis auctorem feci. inventa deinde at-  
 que è terre latebris eruta ejus Obelisci base atque inscripti-  
 one, falsum esse patuit, quod de Constantino filio suspic-  
 tus fureram, ut nescio cui facillimum fuerit inventis frugi-  
 bus glandium usum reprehendere. tum oportuit scriptio-  
 nem meā reprehendi, cum ea Inscriptio non dum in lucem  
 prodierat. quamquam, ut Constantium patrem ejus de-  
 molitionis auctorem fuisse constet, mirandum tamen non  
 est, si, nemo mihi hac in re facem cum prætulerit, ego in  
 tantis tenebris aliquid offendicerim, & dum eum quaro, qui,  
 Obeliscus ille ut deponeretur, curavit, si in ipsius filium in-  
 currerim. profectò ego Davus eram, non Oedipus, qui, uter  
 eorum illud opus aggressus esset, divinare ac statuere pos-  
 sem,

B

se m, in quo tamen si hoc meum peccatum memoriae peccatum esse dicerem, caussam meam illustrium Scriptorum exemplo & auctoritate, Aristotelis, Ciceronis, Plinii, tueri possem; quorum μνημονικὰ ἀμαρτήματα complura memorantur, nunc autem non memoriae, sed rerum obscuritati tribuendum dico: si patris factum filio attribuerim. Sed quid si ejus Inscriptionis auctorem historiam eorum temporum non satis notam & explicatam habuisse ostendero? Obstabit ne quidquam, quamobrem ab illo dissentendum, ac discedendum esse non possem? Ejus hi sunt Hexametri,

*Hoc decus ornatum genitor cognominis Vrbis*

*Esse volens casa Thebis è rupe revellit.*

Hic sine ulla dubitatione auctor inscriptionis testatur Obeliscum illum Constantini patris jussu è rupe Syenes & cęsum & revulsum, id quod falsum, plenumque erroris est. quemadmodum ex Ammiani XVII. libro didicimus, cuius hæc sunt verba. *Et quia sufflantes adulatores ex more Constantium, id sine modo strepebant, quod cum Octavianus Augustus Obeliscos duos ab Heliopolitana civitate transstulisset Aegyptia, quorum unus in Circo Maximo, alter in Campolocatus est Martio, hanc recens adiectum difficultate magnitudinis territus nec congregare ausus est, nec movere. discant qui ignorant, veterem principem translatis aliquibus hunc intactum ideo reliquisse, quod Deo Soli speciali munere dedicatus fixusque intra ambitiosi templi delubra, quæ contingi non poterant, tanquam apex omnium eminebat. Verum Constantinus id parvi ducens avulsam hanc molem sedibus suis, nihilque committere in religionem re-ētè existimans, si ablatum uni templo miraculum Rome sacraret, id est in templo Munditotius, jacere diu perpessus est, dum translationi parentur utilia.* Hoc Ammiani testimonio Auctor Inscriptionis convictus discedat necesse est, quamquam, si paulo considerarior fuisset, non tam temerè inscribendum id curavisset, quod refutari ac refelli facillime poterat,

terat. nam, præterquam quod multos tum fuisse in Urbe Roma verisimile est, qui cum Obeliscum Heliopoli stantem viderant, absurdum etiam existimari poterat, Constantium excidi eam molem, & in ipsa Hieroglyphicas notas inscribi voluisse, cum & multos obeliscos paratos haberet, quos ex Aegypto Roman aveheret: & imperante Constantino nulli superessent, quemadmodum ostendimus, qui Hieroglyphicorum notitiam haberent: & ut superessent, Constantinustamen Latinis vel Græcis potius, quæ vulgo intelligebantur, quam Aegyptiacis notis, quarum notitiam vel nulli prorsus, vel certe paucissimi habebant, sui memoriam posteris commendari voluisset, imperite igitur quisquis eorum carminum auctor fuit, historiam de Obelisco Constantiano nobis descripsit. In qua præterea non parum peccasse existimari potest, quod memoria prodidit Constantium patrem ideo obeliscum illum excidendum curasse, quod Byzantium deferri veller, cum ex Ammiani historia constet humi depositum à Constantino fuisse, ut Romanum invehetur, ibiquæ tanquam in communi omnium gentium templo collocaretur. Quamobrem nihil video cur ille vera, ego falsa de hujusmodi Obelisci demolitore dixisse existimari debeam. neque enim quemquam esse arbitror, qui nescio cui (ut Fabiano verbo utar) versificanti majorem fidem habeat, quam historiæ scriptori si non latinitatis, veritatis quidem in primis observanti. Verum ἀλις non modò δρυός, sed λεπτολογημάτων ne dicam λεπτολεσχῶν: in quas ego propter ea sum ingressus, quod vererer, si eas silencio præterisse, ne quis existimaret me non quidem eas contempssisse, sed caussæ diffisum erratum agnovisse meum. taciturnitas enim, ut ille inquit, imitatur confessionem. Ergo his omissis τῷ πόσῳ τῷ πρότερον revertamur. Verum, ut eò, quod intendimus, sine errore perveniamus, primum constitui necesse est, quoties factum est, ut Roma à Gothis ac

Vandalis captā ac direpta fuerit, & quibus potissimum temporibus hoc ipsum acciderit. Et sanè si Paullo Orosio viro integerimo, & Procopio historiæ scriptori vel in primis gravi, qui, Gotthis Italiam obtinentibus, floruit, & apud Bellarium, non solum medicinam fecit, sed etiam rebus gerendis præfuit, credi oportet, quinque omnino contigit, ut ea Urbs ab iis nationibus intra centum & triginta sex annos per vim occuparetur, ab Alarico, à Genserico, à Ricimere, à Totila, qui bis eam & cepit & diripuit. trecentis autem ac sexaginta annis post eas calamitates ab Arnulfo Germanorum Rege obsessa illa quidem & capta est, sed tamen, quod ad publicorum ædificiorum, & substructionum ruinas pertinet, nihil omnino incommodi passa est. Satis enim superque ille habuit à Fortunato Pont Max. Augustum appellari, atque inungi, & populum Romanum jure jurando sibi devincire. quod cum fecisset, Roma incolui relicta dicensit. Ac primum quidem anno à Christo nato CCCCX. Alarius ab se per dolum captam spoliavit. Qui omnium primus post Radagasm in Italiam irrupit, & cum acceptis ab Honorio Imp conditionibus in Galliam se conserret, jamque, ut nonnulli memorant, ad Cottias Alpes pervenisset, Stiliconis exercitum, qui illic, ut Gotthos exciperet, in insidiis delitescebat, magna occidione delevit, iratusque Honorio ob violatam fidem iter convertit: & vastata magna & celeberrima Italæ parte, Romam etiam cepit, ac diripuit. Quia in re tantum absfuit, ut dolori suo paupererit, atque iracundiæ servierit, quod tamen jure belli facere potuit, ut insignis etiam cuiusdam continentia, & incredibilis erga Deum pietatis exempla ediderit, cum tamen sine reprehensione in populum Romanum acerbissime sanguine potuisset. Fuerat enim ab Honorio stipendiis, quæ unà cum exercitu meruerat, fraudatus: deinde simulata pactione Galliarum per insidias appetitus: ut stipes, ac truncus

cas existimari deberet, nisi omnibus, qui Honorio parebant, iratissimus venisset. At ille Romam ingressus edictum cavit, ne quis aut Virginem, aut Viduam, aut honestam alioqui mulierem violaret: neve quenquam attingeret, qui in sacram aliquam Aedem confugisset: Utque à cædibus, quantum fieri posses, omnes temperarent. Potuit ne quicquani vel humanius vel mitius ab eo desiderari, qui vel Urbem amicam ac suam per vim expugnatam in potestatem redigisset? Ac libet hic & ipsius Alarici, & totius exercitus factum commemorare, quod incredibilis in Christianum nomen pietatis indicium ad æternum ejus nationis decus sic tam constitutum est, ut è piorum memoria deleri nunquam oporteat. Atque utinam qui nostra ætate eandem Urbem hostes ab se expugnatam depopulati sunt, hujusmodi exemplum sibi ante oculos posuissent: qui Christiani cum essent, nihil sibi tamen reliquum ad crudelitatem, atque impietatem fecerunt, cum iij neque sacrarum, neque profanarum Virginum, neque honestissimarum mulierum pudori pepercissent, cum promiscue civium se compleverint. Sed his omissis, quæ à gravissimis scriptoribus & reprehensa, & complorata sunt, pulcherrimum illud Gotthorum factum ex Paullo Orosio in hanc scriptiōnem nostram transferamus. Sed ne forte aliquid de meo addidisse hic existimer, Orosi ea de re testimonium sic recitabo ut paululum in melius commutatis verbis sententiam religiose servaverim. Barbaris, inquit, Vrbem paſsim diripientibus, quidam ex iis domum usui divini ministerii dedicatam ingressus est; cumque illic mulierem jam natu grandem reperisset, qua Deo Opt. Max. virginitatem suam jam inde ab insidente ætate consecraverat, atque ille non modo nobilitate inter Gotthos excelleret, sed etiam Christianus esset, per summam modestiam ab ea postulare instituit, ut, quicquid auri argentique haberet,

beret, palam proferret. quod cum mulier absē peti audivisset, sic dicto paruit, ut ingentium opum vim magnam in apertum contulerit, ea erant vasa ex auro argentoque sum pondere, sum pulchritudine mirabiliter constata, que cum Barbarum operis artificio obstupefactum intueri virgo illa animadvertisset; Petri, inquit, Apostoli cultui sacra hac instrumenta sunt. auferto, si liber, ac de facto tu videris. Ego enim, quia prohibere, quominus id tu facias, non possum, ueque resistam, neque conatus tuos refutabo. Hec Barbarus cum audisset, & injecta sibi religione ad venerationem commotus esset, Alarico Regi per nuntium significavit, At ille ad Apostoli adem vasa omnia quam primum referri, & non modo Virginem sed reliquos etiam omnes, qui ad eam se adjunxiserant stipantibus pompam militibus incolumes reduci jussit. Ea domus in media Vrbe posita longe à Vaticano aberat. inde cum singulorum capitibus singula vasa essent imposita, longo, ac pulcherrimo ad videndum spectaculo ad Baslicam sic deportari cœpta sunt, ut utrinque congregati milites cum exortis ad defensionem gladiis piam illam pompam comitarentur & munirent: hymnosque Deo Optimo Maximo Romani, ac Gotthi simul canerent, quibus permulti, qui se in latebras conjecterant, exciti ad eos prodeentes concurrebant, iisque, quo plures ad talem comitatum confugerent, eo alacrius barbari defensores circumfundebantur. His Orosius postquam admiratione obstupefactus acclamavit, alia subjicit, quæ hæc sunt. Terria die Barbari, postquam Vrbem ingressi fuerant, nulla vi coacti, sed judicio ipse suo, ac voluntate discedunt, aliquot tantummodo edibus incendio absumptis, multo rarer paucioribus, quam quæ anno ab Vrbe condida DCC. subito factis, & fortuitis ignibus arserunt. Hæc Orosius, quorum adstipulator est Cassiodorus libro XII. Variarum, Epistola XX. cum ait. Nam cum Rex Alaricus Vrbis Roma depraedatione satiatus Apostoli Petri vasa suis deferentibus exceperisset, mox ut rei caussam cognovit, ad Sancti Petri Baslicam ipsorum metis discrepantium manibus deportari jussit, ut cupiditas, quæ prædandi

dandi aviditate flagitiose peccaverat, incredibili sanctimonia commissum scelus expiare. Ex his, et si paulo aliter, quam ab Orosio commemorantur, tamen qui Gotthorum in diripienda Urbe placabilitatem, atque clementiam non suspexit, cum esse oportet omnium affectionum animi, quibus ad ultiōrem & crudelitatem impellimur, expertem. At iij multas domos incendio absumpserunt. quis negat? neque enim viator exercitus, & injuria affectus contineri potuit, quin resistentibus Romanis, & arma contra ferentibus, & cædes committeret, & in ædificia ignem injiceret. Sed ut aliquot domus conflagraverint, certè Thermae, Theatra, atque Obelisci trium dierum spatio ab iis vastari, ac dejici non potuerunt, præsertim in Urbis direptione occupatis. Atque hoc quām verum sit Jornandes in eo libello, quem De Rebus Geticis scriptum reliquit, his verbis testatur. *Postremo* (inquit) *Romam ingressi* (de Gotthis loquitur) *Alarico ita* *jubente Vrbem modo spoliant, ab incendiis abstinent, neque ullam* *Sanctorum Aedibus injuriam fieri patzuntur.* Idemque in eo libello quem de Regnorum, & temporum successione in lucem dedit. *Alarius* (inquit) *Rex Vvisegothorum vasa-* *za Italia Romam ingressus est, opesque Honorii Augusti prædatus* *Placidiam ejus sororem captivam abduxit. quam postea Atalib-* *pho successoris suo moriens in matrimonium conjungè jussit.* Vi- des igitur quām non insolenter, immò quām mansuetè Gotthi in ea direptione se gesserunt. Quem quidem pri-  
mum Urbis casum circiter X L I V. annis pōst altera con-  
secuta est calamitas, quam eadem Urbs à Vandals capta  
magnam atque improvisam accepit. Ut autem caperetur  
hæc cauſa fuit. Imperabat Romæ Valentinianus ejus no-  
ministerius. Is cum Maximiviri opibus, & copiis poten-  
tissimi uxorem deperiret, neque illius potiundæ, quod pu-  
dicissima esset, spem ullam haberet, hanc hujusmodi rei  
conficiendæ rationem excogitavit. Maximum ad se evo-  
cat:

cat: evocatum tessellarum ludo provocat ea pactione, ut si ipse vinceretur, Maximo certam auri summam persolveret: si vinceret, annulum, quem Maximus gestabat, ipse auferret. iactis tessellis Valentinianus annulo potitur: cumque ad Maximi uxorem Maximi ipsius nomine perferendum curat, jubetque, ut ea statim viso annulo ad Imperatoris uxorem salutandam se conferat. Illa vero cum paruissest nuntio, atque ita ad aedes Imperatoris pervenisset, ab ejus facti consciis non quidem ad Eudoxiam, sed ad Valentinianum perducta est, & ab eo constuprata. amissa igitur pudicitia domumque inde suam reversa Maximo rem omnem detegit, hominemque ad vindictam cohortatur. qui tantam injuriam ulcisci cum statuissest, nequid temerè festinandi facinoris, quod animo conceperat, cupiditate committeret, bono esse animo Uxori jubet, ipse interea suis artibus Aetium rei bellicæ peritissimum & magno animo & virute virum, cuius ductu Valentinianus Attilæ conatus & copias represserat, ac proligaverat, Valentiniano affectati imperii nomine suspectum facit. Ille, quod alioqui tanti Dux virtutem non parum pertimesceret, Aetium de medio tollendum curat, quo sublato Maximus Valentinianum nihil tale cogitantem aggressus obtruncat; atque imperium invadit, & quoniam ejus uxor jam antea decesserat, Eudoxiam Valentiniani uxorem in matrimonium, quamquam invitam & recusantem dicit, eamque sibi ut conciliet, factetur se amoris erga illam sui magnitudine atque impatentia victimum, auctorem fuisse, ut Valentinianus occideretur: atque ea, quam perditissime amabat quo jure, qua uera injuria potiretur. At Eudoxia simulans se non invitam in eo matrimonio esse, nuntium ad Gensericum Vandalorum Regem mittit, qui tum Carthagine regnabat, eumque ad occupandam, ac deprædandam Urbem Romam invitat & cohortatur. Gensericus oblatam occasionem non aspernatu,

natus, maximam classem ædificandam instruendamque quamprimum curat, in camque exercitu condescendere jussu sic naugavit, ut Romanum de improviso oppresserit, quod quidem cum accidit Maximum Romani fugientem inimicæ insectantur, ac saxis facta lapidatione obruunt, ac membratim disceptum in Tiberim proiciunt. Gensericus Eudoxiam unâ cum Eudocia & Placidia, quas Valentinianus ex Eudoxia suscepserat, ac præterea gazam omnem imperatoriam in Aphricam, ac tegularum, quæ & ex ære conflatae fuerant, & inauratae, è Capitolini templi teatro partem dimidiâ ablatam unâ cum statuis, quas demolitus fuerat, ut jis Carthaginem ornaret, secum avehit, quatuordecim tantum dies in Vrbe moratus. quamquam illa, antequam in Aphricam deferrentur, facto naufragio perierunt omnia. Hæc de Roma à Genserico capta, ac direpta scribit Procopius libro III. De bello cum Vandalis gesto. Ut constare facile possit Vandalo in avehenda præda occupatus tempus consumere non potuisse in ædificijs, & substructionibus, quas hodie humi dejectas, ac prostratas passim videmus, evertendis. Neque enim verisimile est Procopium, & Vandalo parum æquum, & earum calamitatum, quæjis temporibus acciderunt, non indiligentem Scriptorem, silentio præteritum fuisse, si illi ad hanc faciem eversam Vrbem reliquisserint. quemadmodum testari videtur Iornandes in libro De Rebus Geticis cum ait. *Valentinianus Imp. dolo Maximus occisus est. & ipse Maximus tyrannico more regnum invasit.* quod audiens Gensericus Rex Vandalorum ab Aphrica armata classe in Italiam venit, Romamque ingressus cuncta devastat. Id quod ego ex Chronico Cassiodori sic interpretor, ut Romanum opibus spoliatam, non autem eversam, & dirutam intelligat. sic enim Cassiodorus. *Valentiniano VIII. & Anthemio Coss. in Campo Mirio ab amicis Aetij Valentinianus occiditur.* post quem Maximus invasit Imperium. qui intra duos menses

C

mensis

menses à militibus extinctus in Tiberim projicitur, Eodem anno per Gensericum omnibus opibus suis Roma vacuata est. Hęc ex Cassiodori Chronico. Is autem annus fuit ab accepta Salute CCCCLV. Tertius verò post Alaricum Gotthorum, & Gensericum Vandalorum Regem, Ricimer Suevus extitit, qui anno Salutis CCCCLXXII. Vrbem & cepit & diripuit, sicut tamen, ut præda contentus ædificijs pepercerit. Quia quidem in re probanda ea persequi, quæ in conjectura posita sunt, ubi certissimis argumentis demonstrare, & ut dicitur, quasi τετέληται controversiam dirimere possis, hominis est alieno otio & facilitate nimium licenter abutentis. Ergo totam hanc superiorē disputatiōnē ex temporum successione, atque ex historiæ veritate concludamus. Alarius Gotthus Romanū cepit, ac diripuit Anno à Christo natō CCCCX. Gensericus Vandalus CCCCLV. Ricimer Suevus CCCCLXXII. Theodericus autem Amalus Gotthorum rex, cuius extat epistola prima Cassiodori ad Anastasium Imp. regnare in Italia cœpit Anno Salutis CCCXCIII. aetate igitur & Alarico, & Gensericō, & Ricimere posterior. Is Aurelio Cassiodoro epistolarum magistro usus est, homine in primis gravi apud quem certissima extant testimonia, quæ palam clamant, nullum fuisse Romæ publicum ædificium neque à Gotthis, neque à Vandaliſ, qui eam Vrbem ceperant, ac diripuerant, eversum. At primū quidem ex epistola L I. libri tertij Variarum constat, Circum Maximum regnante Theoderico non minus fuisse integrum, quam cum Romæ priores illi Cæsares Remp. regebant. ostiorum, quæ duodecim; metrum, quæ septem erant, numerum neque auctum, neque minutum: non Euripum, non Obeliscos defuisse, quorum unus Soli, Lunæ alter sacratus esset, Euripus (inquit) maris vitrei reddit imaginem: unde illic delphini aquorei aquas interfluunt, Obeliscorum quoque altitudines ad Cælum extolluntur:

sed

sed potior Soli, inferior Luna dicatus est. ubi sacra Priscorum Chaldaicis signis quasi literis indicantur. Hæc ille. ac mox una cum Circō descriptis spectaculis, quæ in Circo edebantur, subjicit. Hæc nos coacti foremus ne defuisse videamur populorum instantentissime nos rogantium postulatis, quibus propositum est ad ea convenire, dum cogitationes serias abiciunt. Et mox epistolam sic concludit. Quapropter largiamur expensas: non semper ex iudicio demus. expedit interdum despere, ut populum possimus desideratis gaudis oblectare. Ergo post Vrbem ab Alarico, à Genserico, & à Ricimere direptam, non solum Circus Maximus intactus remanserat, sed ludi etiam statim temporibus à Populo Romano exercebantur. Iam verò neque in aquarum ductus, neque in Thermas fuisse ab jisdem Gotthis, ac Vandals ruinas editas, idem Cassiodorus epistola sexta libri VII. Variarum tessatur, cuius partem hic subscribemus, ut adeundi Cassiodori laborem legentibus demamus. Nam thermarum illa pulchritudo quid esset, si dulcissima quadam equora non haberet: fluit aqua Virgotam pura, ut nos magnopere delectet: quam ideo sic appellatam credimus, quod nullis sordibus polluitur. nam cum alia maximis imbris, ac turbulentis tempestatis, & rivis violentur, hec aerem perpetuo serenum purissime labens vnda mentitur. quis posse talia sermonibus idoneis explicare? Claudiam per tantam fastigij molem sic ad Aventini caput esse perductam, ut cum ibi exalto lapsa ceciderit, cacumen illud excelsum quasi imam vallem irrigare videatur. Et paulo post. Qua de re per Indictionem illam, Comitiuam tibi formarum sub magna deliberatione credimus: ut summo studio nitaris efficere, quod tantis ae talibus rebus expedire videris. In primis noxias arbores, quæ ruinas adificis. (sunt enim quidam arietes, non illi quidem, qui illic importentur, sed qui ad prosternenda mænia per se adnascentur) censemus radicis amputari oportere. siquid autem consciente senio procubuerit, pervigili charitatem reparetur. Hæc ille & multo plura ex eadem epistola

stola à nobis præterita, quæ luce clarius demonstrant Got-  
 thos, ac Vandalo, qui multis annis ante quām Theoderi-  
 cus in Italia regnaret, Urbem Romam diripuerant, injustè  
 accusari, quòd Thermas, & Aquæductus everterint. neque  
 me movet, quòd idem Cassiodorus libro XII. Epistola XX.  
 de Alarico sic loquatur, ut tantarum substructionum exci-  
 sionis ruinæ condemnare illum videatur. *Sed quid mirum*  
*(inquit) si Sanctorum vasæ diripere noluit, qui tanta se Vrbis*  
*vastatione ditavit?* Etenim hic Cassiodorus vastationem pro  
 depopulatione, ac rapina usurpavit, neque id sine exemplo.  
 Cicero orat. II. In Catilinam. *Quid enim expectas? bel-*  
*lum? quid? ergo in vastatione omnium tuas possessiones sacrofa-*  
*cias futuras putas?* In hanc autem significationem huius-  
 modi vocem accipi oportere apud Cassiodorum loco supra  
 à nobis citato illud ostendit, quòd verbum ditavit ad vasta-  
 tionem adjunxit. neq; enim se ditant, qui ædificia vel igne  
 absumunt, vel ferramentis, ac vestibus humi deſcieunt, sed  
 qui locupletum domos auro, argento, gemmis spoliant, at-  
 que ex ærario pecuniam omnem auferunt. est ergo illuc  
 vastatio pro direptione posita, nam alioqui Cassiodorum  
 sibi non constare, ex iis, quæ superius recitata sunt, pareret,  
 mentiri etiam temporum ratio & veritas ipsa ex historia pe-  
 titia convinceret. qui enim fieri potuit, ut vel Alaricus, vel  
 Gensericus, vel etiam Ricimer ea ædificia vastaverit, hoc  
 est everterit, si tanto post tempore eadem Thodericus ut  
 integra, & à nemine, nisi à vetustate paululum labefactata  
 describit? Nam quod ad Aquæductus pertinet, nulli du-  
 bium esse potest, qui Procopium legerit, quin illi neque à  
 Vandalo diruti non fuerint. is enim libro primo de bello  
 Gotthorum sic scriptum reliquit. *Quamobrem Gothi rebus*  
*ad hanc rationem dispositis, ædificia omnia, quibus aqua in Ur-*  
*bem devachitur, interscindunt, ne invecta obſeffis copiam sui fa-*  
*ceres.* *Sunt autem Roma quatuordecim omnino aquæductus, ex*  
*latere*

latere substructi, ea latitudine, ac profunditate, ut hominem quo  
 insidentem facile capiant. Ergo Gotthi, qui Vittige Duce Ro-  
 manum obsidebant aquæductum interscindunt, ne aqua in  
 Urbem influat. Vittiges autem imperfecto Theodahado, qui  
 Amalasantæ Theoderici in Vulsinensis lacus insulam rele-  
 gatæ, atque ibidem imperfectæ in regnum successerat, in Ita-  
 lia regnabat. ex quo necessario concluditur Aquæductus  
 nusquam fuisse vel eversos vel corruptos à Gotthis & à Van-  
 dalis, qui ante regnatum Theodericum, & Urbem à Vit-  
 tige obsecsam, Urbem ab se expugnatam diripuerant. At  
 Vittiges dum obsidione Urbem premeret, aquæductus  
 omnes evertit. interscidit ille quidem atq; interrupit, non  
 etiam evertit. & interscidit ne aqua obsecsis suppeditaretur;  
 quod sex septemve ex Aquæductu demptis lateribus fieri fa-  
 cillime potuit. Atq; hoc tamen illi facere licuit in ea Aquæ-  
 ductuum parte, quæ extra Urbem erat: nam quæ Urbis am-  
 bitu & mœnibus includebatur, cum Urbem non ceperit, ab  
 illo certè everti non potuit. Reliquum nunc est, ut, post-  
 quam Circum Maximum, Thermas, & Aquæductus non  
 fuisse à Barbaris eversos, ac dirutos ostendimus, qui Alarico,  
 Genserico, ac Ricimere ducibus Urbem diripuerant, qui  
 que Vittigem secuti eandem obsederant, ostendamus etiam  
 eosdem theatris sic pepercisse, ut quod ad illos pertinet, ni-  
 hil prohibuerit, quo minus, ea ad nos integra pervenerint.  
 quod quo facilis probemus ejusdem Cassiodori testimo-  
 nium ex Epistola L I. libri I V. Variarum recitabimus, in  
 qua Theodericus Rex Symmachum Patricium theatro his  
 verbis curatorem præficit. Et ideo (inquit) theatri substruc-  
 tionem magna se mole solventem consilio vestro statuimus effe-  
 borandam: Ut, quod ab auctoribus vestris in ornatum patriæ con-  
 stat esse concessum, non videatur sub melioribus posteris imminu-  
 sum. quid non solvas ò senectus, qua tam robusta quassasti?  
 montes facilis cedere putarentur, quam soliditas illa quateretur:

quando & moles ipsa sic tota de causibus fuit, ut præter artem ad-  
 ditam, & ipsa quoque naturæ esse crederetur. Hæc Theode-  
 ricus Rex, ex quibus facile appetat theatrum non à barbaris  
 excisum, sed aliqua ex parte vetustate labefactatum fuisse.  
 itaque idem Rex his verbis epistolam concludit. *Et ideo siue*  
*mæculis pilis contineri, sive tale adficitum refici potuerit, expen-*  
*sas vobis de nostro cubiculo tribuendas curavimus, ut & vobis ac-*  
*quiritur tam boni operi fama; & nostris temporibus videatur*  
*antiquitas decentius innovata.* Theodericus igitur non quod  
 vel Gotthi, vel Vandali Urbis direptores, ac vexatores dis-  
 solverant, sed quod senectus & temporis diuturnitas con-  
 quassaverat instaurandum, & stabiliendum curavit. His ita  
 constitutis, neminem fore puto barbarissimum inimicum,  
 qui Alaricum, & Gensericum, & Ricimerem à culpa eversæ  
 Urbis non liberet. Restat modò ejusdem criminis reus  
 Totilas: quem annis circiter uno & viginti post Theoderici  
 excessum Gotthi imperfecto Alarico regem sibi creaverunt,  
 hominem non modò rei militaris in primis peritum, sed,  
 quod dictu mirabile sit, humanitate, clementia, & incre-  
 dibili erga Deum pietate cum quovis ex veteribus compa-  
 randum. Ille Neapoli, quam diu obsederat, in potestatem  
 redacta, cum jure belli in eos, qui se inviti dediderant, cru-  
 deliter animadvertere posset, non modò cunctis pepercit,  
 sed etiam summam curam adhibuit, ut ex medicorum præ-  
 cepto pristinam valetudinem, ex diurna fame amissam,  
 & profligatam recuperarent: omnesque mox viatico etiam  
 adjuvit, & eò, quod maximè vellent, ut se recipere permit-  
 sit: Ille familiarem suum, quem propter excellentem in re  
 militari virtutem magnopere diligebat, cum is Virgini cui-  
 dam in Urbis Neapolis direptione stuprum intulisset, capite  
 plecti jussit, ejusque bona omnia virgini donavit. Ille ho-  
 stium uxores, nobiles foeminas à se captas ad viros suos nul-  
 la planè injuria affectas reducendas curavit. Ille denique  
 cum

cum Urbem Romam evertere, ac solo æquare statuisset, idque se facturum Romanorum Legatis multo ante denunciavisset, cum primùm Urbem viator ingressus est, ad Aedē Petri Apostoli supplex se contulit, ac Pelagii Pontificis precibus ab ira ad clementiam conversas Gotthis per edictum imperavit, ut à cædibus abstinerent. quod ita religiosè observatum est, ut Rusticianam Symmachī filiam, & Boetii uxorem, quæ, ut patrem & virum Theoderici Regis jussu interemptos ulcisceretur, Theoderici statuas deturbandas curaverat, cum eam Gotthi ad cædem exposcerent, incolumem servaret, neque illi injuriam ullam fieri passus esset. Sed quorsum hæc tam multa pertinent? ad ea scilicet, quæ postea consecuta sunt. Nam cum ille urbem viator obtineret, eaque ut solo æquaretur è Gotthorum imperio esse existimaret à Bellisario per litteras admonitus tam immannem cogitationem prorsus abjecit. His enim verbis Bellisarius epistolam suam concludit. His ita se habentibus rectè hoc bello vietus ipse succumbes: aut, si ita forte contigerit, nos superabis. Quod si viceris, & Romam everteris, jam non alterius Vrbem, sed tuam deleveris, quam si servaveris, ex possessione cæterarum omnium præstantissima opulentior fies. Sin autem ad deteriorem fortunam tuam res nobis successerit, Roma incolumis abs te conservata gratia tibi apud vietorem conciliabitur, & non mediocris. Qua per te tum forte deleta nullus tibi relinquetur ad humanitatem consequendam, & clementiam locus. Et quæ sequuntur. Huic epistolæ à Bellisario ad Totilam scriptæ subjicit Procopius. His literis Totilas diligenter perlectis, & ut prudentissime monentibus assensus, Vrbem nullo affectam damno servaravit, deque hac sua in eam voluntate per oratores certiores Bellisarium fecit. Qua de re postea cum Romam à Bellisario in Justiniani potestatem redactam iterum Totilas oppugnaret, à Gotthorum primariis objurgatus est, cum illum temere

temerè fecisse dicerent, quod cum Urbem Romam cepisset, eam funditus non evertisset. Ex his igitur Procopii locis scire possumus, Urbem Romam non fuisse, neque incendio absumptam, neque ejus tertiam partem à fundamentis eversam à Totila, quod plerique, sine certo tamen auctore, tradiderunt, quorum opinionem, nescio quam ob caussam, secutus Blondus historiam à Procopio hac de re diligenter perscriptam perverterit. Nam eum Procopius Romam à Totila servatam fuisse scribat, ac tantummodo circiter tertiam murorum, quibus cingebatur, partem humi prostratam: Blondus ab eodem incensam, eversam, & desolatam memorat. Collenncius autem annum & amplius ab omnibus incolis planè derelictam fuisse auctor est: id quod quemadmodum factum esse non inficiat, ita cum Procopio & affirmo Urbem non fuisse eversam. Ejus hæc sunt verba. *Romam in primis à fundamentis revertere decrevit, sed muri tantum, & id quidem diversis in locis diruit, quantum totius muri partem esse hanc tertiam conjicere quis posse.* Mox subjicit Totilam, ut paulo ante ostendimus, pellectis Bellisarii literis omnem cogitationem de revertenda Urbe abjecisse, & eam integrum, sed omnibus habitatoribus vacuam reliquisse; quippe qui de lectos patricios quasi obsides secum ire, reliquos autem omnes cum liberis & coniugibus in Campaniam profici sci jusserit. Ergo, si Procopio credimus, deserta quidem ac derelicta Roma est, sed tamen non eversa. Nam, si eversa esset, nihil erat, cur postea Bellisarius ad eam occupandam festinaret. neque, ut supradiximus, tantæ Urbis excidium Procopius, qui apud Bellisarium hujusmodi bello interfuit, tacitus præterisset. Cur enim tam turpi mendacio historiam suam de honestaret? *Vrbem (inquit) nullo affectam damno integrum servavit.* hoc perinde est, ac si dixisset, nullum in ea ædificium vel publicum vel privatum evertit. At, si Collenucio & Blondo credas,

omnia

omnia fuere illic solo æquata, omnia à fundamentis eversa  
fatearis necesse est. Utris autem fidem potius habeas Blon-  
do ne & Collenucio, qui nongentis annis & amplius à To-  
tila absuerunt, an Procopio, qui regnante in Italia Totila  
floruit, rebusque ab ipso & Bellisario gestis interfuit, ac Ro-  
mam ipsam præsens præsentem, atque in re præsenti videre  
potuit? praterquam, quod, si mentiretur, infinitos testes  
tum habuisset, à quibus hujusmodi mendacium redarguere-  
tur. nunc autem ejus ætatis scriptores nulli sunt ( quod ego  
sciam ) qui Procopium testimonio suo vanitatis condem-  
nent. cuius ego auctoritatem, hac quidem in re, recentio-  
rum omnium scriptorum, qui ab illo dissentient, auctori-  
tati longè anteponendam censeo. præsertim cum ex recen-  
tioribus etiam scriptoribus minime desint, qui à me stent.  
Bernardinus Corius Paullum Diaconum secutus in Justi-  
niani Imperatoris Vita sic fermè scriptum reliquit. *Totilas*  
*noctu Romanam ingressus, loco certo cum exercitu constitit: inde-*  
*que continuato usque ad illucescentem diem tubarum clangore,*  
*Romanis, quos ipse saluos esse cupiebat, signum dedit, uti omnes*  
*se in ades sacras reciperen, quo facto, aliquot dies in Vrbe sic com-*  
*moratus est, ut Romanos omnes perinde ac filios benigne tractave-*  
*rit. Hæc Corius. è quibus omnibus confidentissime asseve-*  
*rate possumus, Totilam in ea Urbis direptione sic se gessisse,*  
*ut amicus potius Romanis, quam hostis in Urbem & acces-*  
*serit & discellerit. At dixerit fortasse aliquis Urbem ipsam*  
*fuisse à Totila tunc eversam, cum iterum ab eodem capta*  
*est. Ego vero eum, qui hoc objecerit, aut in legenda histo-*  
*ria parum versatum esse, aut hominem memoria non satis*  
*bona præditum existimabo. Nam Procopius eodem ter-*  
*tio libro sic ea de re scriptum reliquit. Miserat Totilas ad*  
*Francorum Regem Legatos, qui ab eo peterent, sibi ut filiam in ma-*  
*trimonium collocaret, quod ille se futurum præcise negavit. cum*  
*enim nec Italia regem sum esse, nec futurum postea dixit: quippe*

D

qui

qui captae Vrbis, cuius ipse partem everterat, possessionem retinere non potuisset. qua responsione Totilas commotus, summa diligentia commeatus in Urbem importari, ac resarciri, instaurari, omnia confessim jussit, quæ vel ignibus absumpcta essent, vel ipsem evertenda curavisset. Hæc Procopius, quæ & ipse etiam Blondus memorie prodidit extremo libro sexto primæ Decadis. Ergo (inquit aliquis) ex Procopii verbis proxime citatis apparet Totilæ jussu aliqua ædificia in Urbe eversa esse. Ego vero, quamquam interpretor Totilam ea refecisse, quæ fortuiti ignes absumperant, etiam antequam ipse Urbem cepisset, quamque murorum partem ipsem et diruerat, non ausim tamen negare & in priore & in posteriore hac Urbis direptione id accidere potuisse: præsertim cum ingressus in Urbem Totilas necesse habuerit, & cum Romanis acerrime resistentibus prælium committere, & Adriani molem oppugnare, in quam equites CCCC se receperant. Sed ut hoc alicui nimis præfractè sententiam suam defendantem concedamus, constat tamen ex eodem Procopii loco, mox omnia fuisse summa diligentia restituta, ut parietinæ, quæ hodie passim in Urbe Roma conspiciuntur, neque Totilæ, neque ipsius exercitui tribui debeat. Nam quod Francorum Rex Urbis partem à Totila eversam dicit (ut & ego quoque sententiam meam tuar) duobus modis intelligi potest. Uno, ut criminis augendi caussâ iis verbis rem amplificet: altero, ut partem Urbis appellaverit eam muri partem, quam & ipse etiam Procopius à Totila humili diversis in locis prostratai superius dixerat. Et sanè Francorum Rex, cum ab se jure optimo Totilæ affinitatem repudiatam esse significare vellet, quod neque tunc Italæ Rex esset, neque in futurum esse posset, id objecit, quod conatus irratos, & vires Totilæ imbecillas in primis declararet. is enim tertiam murorum partem everterat, ne Romam hostes ingressi incenibus præterea se tutarentur, Gothosque excluderent, sed

sed ut æquo se ac patenti campo credere cogerentur. quod cum secus evenisset, quam Totilas existimaret, ac voluerat, cùm à Gotthorum principibus, ut supra commemoravimus, tñm à Francorum Rege malè audiit. Sed utcumque sit id certè, quod in Urbe vel sua, vel aliorum culpa dirutum fuerat, in pristinam formam quamprimum revocavit. quemadmodum & Blondus, & Procopius testatum reliquerunt. quòd (ut puto) sibi ipse persuasisset jure illum Italiam Regem vocari non posse, qui regni, atque Imperii sedem Romanam nulla ex parte comminutam, ac deformaram non obtineret. His igitur sic se habentibus, nihil obstat, quo minus secundum Gothos, & Vandulos, qui soli ex barbaris Urbem diripuerunt, sententiam dicamus. In qua igitur eversæ Urbis culpam conferamus? absolutis enim Gotthis, ac Vandalis, cum postea præter Arnulphum Germanum, de quo supra locuti sumus, nulli Romanam ceperint, difficillimum est conjectura assequi & quasi divinare, unde nam factum sit, ut tot ingentia ædificia, tot civium domus, tot immianes substructiones corruerint. Et primum quidem, quod ad privatorum domos, atque ædificia pertinet, haud difficillima est (ut mihi quidem videtur) divinatio. Nam & incendiis fortuitis, quod non semel in Urbe Roma evenisse legimus, & de industria oblatis, cum orta seditione cives inter se pugnant, absundi potuerunt. Scimus autem celeberrima oppida, & florentissimas Italiam Urbes suscitatis in iis Guelforum, quos appellant, & Gibellicorum partibus, sic desertas, ac derelictas fuisse, ut ne vestigia quidem earum extent ulla. præterea vel morbo, vel bello sublati familiis, vel ad inopiam redactis, cum reliqui essent nulli, à quibus inhabitarentur, mirum videri non debet, si vel vetustate, vel situ corruptæ subsederint. quod quām verè à me dicatur ex S. Gregorii Dialogis intelligi potest, in quibus ille scriptam reliquit, Romæ defientibus

D 2

incolis

incolis parietes etiam ipsos corrue. post cujus atatem verisimile est Urbem ipsam desertorem fuisse: cum præsertim Pontificatu in Galliam translato populum Romanum ad miram infrequentiam, & paucitatem devenisse non ignoramus. quo scilicet tempore potentissimi, quique & in primis opulentii, relicta Urbe in suis se oppidis continebant. Quid quod cives ipsi partim Pontificibus, partim Imperatoribus faventes, cum se mutuis cædibus, & vastationibus ulcericerentur, & infensissime persequerentur, necessario sequebatur, ut eversis domibus Urbis aspectum miserabilem redderent. id quod cum saepe alias, tum Gregorio ejus nominis VII. Pont. accidisse historiæ testantur. Is ab Henrico IV. Imp. & à Populo Romano obsidebatur inclusus in Adriani mole, quod Sancti Angeli Castellum vocant, qua quidem in obsidione Germani, qui Vaticanum, & Transiberinam Urbis partem occupaverant, saepe trajecto Tiberi ingentibus damnis Urbem affecerunt. majoribus etiam affecissent, nisi Robertus Normannus opem obpresso Pontifici maturè attulisset. Cujus virtute & viribus Henricus perterritus obsidionem solvit, seque tanta celeritate ex Urbe proripuit, ut non prius Robertus Portam Flaminiam attigerit, quam ille Senas pervenerit. Romani tamen ingredienti in Urbem Roberto cum se hostiliter opposuerint, in Capitolium reiecti sunt sic, ut ignibus in domos injectis à Porta flaminia usque ad Campum Martium omnia conflagraverint. At tum fortasse accidit, ut Obeliscus, quem illic ab Augusto D. F. positum fuisse scimus, quemque jacentem humi, ac detectum superioribus diebus vidimus, semiustulatis Hieroglyphicis totus deformatetur. Normanni certè cum in Cælium se receperissent, indeque in Romanos eruptiones facerent, quicquid inter Cælium, & Capitolium est, igni ferroque absumperunt, clivumque Capitolinum, depulsis inde Romanis, ac secum abducto Gregorio, incenderunt.

derunt. probabile autem est eo in certamine, & confli-  
ctu multorum domos, atque adficia corruisse; quæ mox va-  
riis de caussis refici minime potuerunt. Neque ineptius exi-  
stimari quis possit, qui bonam magnamque adficiarum  
partem terræ motibus conquassatam, & eversam fuisse con-  
tendat. Nam, & S. Gregorius cap. XV. libri II. Dialogo-  
rum scribit, Canusii Antistitem aliquando se ad S. Benedi-  
ctum Abbatem visendum contulisse, & cum in sermonem  
de Totila, qui tum Gothis imperabat, & bello Græcos, ac  
Romanos persequebatur, incidisset, futurum dixisse, ut Ro-  
ma à barbaro illo everteretur: Benedictum autem respon-  
disse; Illa verò non à Barbaris excindetut, sed à tempestati-  
bus, à fulguribus, à turbinibus, à terræmotibus fatigata in-  
teribit. Atque hoc ipsum sanctissimi hominis oraculum  
idem Gregorius paulo pôst affirmat exitu ipso fuisse com-  
probatum cum ait. Cujus prophetia mysteria nobis jam facta  
sunt luce clariora, qui in hac Urbe dissoluta mania, eversas do-  
mos, destruktas Ecclesiæ turbine cernimus, ejusque adficia longo  
senio laxata: qua ruinis crebrescentibus prosteruntur. Et ho-  
milia XII. in Ezechielem. Quia enim (inquit) Senatus  
de hominibus dicimus, cum ruinis crebrescentibus ipsa quoque  
fidem non habere nefas sit. Nam, præterquam quod vitæ  
sanctitate excellebat, ac patriæ ruinas magno animi cum  
dolore præsens præsentes intuebatur, nihil etiam habebat,  
cur in re omnibus nota turpiter mentiretur: & quod à bar-  
baris patratum esset, id ad tempestates, & terræmotus trans-  
ferret. probabile igitur est his omnibus de caussis Romæ  
multa adficia cum privata, tum publica sic humili procu-  
brisce, ut aut postea restituta fuerint nunquam, aut eorum  
parietinæ tantum superfuerint. Verum enim verò ut terræ-  
motus, & turbines multa prostraverint, Circum certè Ma-  
ximum,

ximum, & Thermas, & Theatra non ulla vi tempestatum, sed hominum opera fuisse diruta cognoscimus. quando neque ulla conquassationum indicia, quæ à terræmotu relinqui consueverunt, in Theatris perspiciuntur: & in Thermis ab Antonino Caracalla, vel à Diocletiano exædificatis, parietes saxo ad inferiorem sui partem à fabris exciso, & comminuto concidisse sic patet, ut, qui ab hominibus eversos esse negaverit, jure optimo odiosè obstinatus haberi & posse & debeat. Quod si externæ nationes, quemadmodum supra ostendimus, in has ipsas substructiones non savyerunt, quosnam earum evertores fuisse autemabimus? an in ipsummet Populum Romanum culpam conferemus? at ille tanta Urbis suæ ornamenta, & decora nunquam sustulisset. An, ut plerique censuerunt, Sancto Gregorio tantarum molium eversionem tribuemus? at probabile non est, hominem Romæ summo loco natum, patriæ amore flagrantem, omnis doctrinæ, & veterum historiarum cognitione excellentem, ad ea delenda animum induxisse suum, quæ majorum suorum præstantiam, & Imperii Romani magnitudinem quasi vivam conservarent, & aspectu ipso tum peregrinis, tum civibus talem tantamque, qualis & quanta olim fuerat repræsentarent. Hæc ego non ignoro doctos homines illis objecisse, qui tantarum demolitionum auctorem, & suasorem Pontificem illum prodiderunt, qua quidem in sanctissimi hominis defensione ita vehementer exaserbant, ut Statuarum, Obeliscorum, Theatrorum, Thermarum, Circorumque eversiones, & ruinas improbum facinus appellare non dubitaverint, ad quod committendum Gregoriuscum vir humanissimus, tum patriæ suæ civis amantissimus adduci se nunquam pateretur. Ac sanè fuit tempus, cum ego quoque mihi persuaseram nullo modo concedi oportere, ut in Pontificem tam eruditum, & ab omni virtutum genere paratissimum hujusmodi cri-

men

men / si modo crimen appellandum est) derivaretur. itaque non mediocriter eos accusabam, qui, ut mihi quidem tum videbatur, tam falsam opinionem, non modo ipsi habuissent, sed etiam in aliorum animis hominum penitus insevissent. Verum ego postea veterum Patrum libris aliquanto diligentius, & lectis, & observatis, intellexi me quasi unum ex iis esse, qui in Gentilium scriptis assidue versati, sic eorum monumenta & res gestas cum admiratione ad amare consueverunt, ut parum absit, quin illius quoque ætatis Deos sibi esse colendos statuant. Quid enim aliud præ se ferunt, qui Signorum, & Statuarum eversores tam acerbè reprehendendos esse putant? quamquam enim Gregorius, & illustri loco Romæ erat natus, & liberalium facultatum studio excellebat, idem tamen, præterquam quod Pontificatus præerat, Christianæ etiam pietatis amore sic flagrabat, ut tum demum verum se patriæ amatorem esse crederet, cum è civium omnium animis gentilium Deorum memoria extirpasset, inque eorum locum Christi Liberatoris nostri cultum introduxisset. An ille, ut antiqui operis Signa rerinerentur, permittere debuit, ut exuta Christiana pietate homines se ad impietatem, & Gentilium ritus referrent? neque enim ignoramus hoc ipsum ante Gregorium sæpe fuisse à Romanis tentatum, cùm multi essent, qui Remp. in tot tantisque calamitates incidisse dicerent, quod abjecto Deorum cultu, Christi cultum, & religionem suscepissent. id quod auctore Augustino, Lactantio, Arnobio, Orosio, Prudentio, cæteris ita constat, ut putidum sit in re tam clara testimonis uti. Etenim usque adeò altas Gentilitatis error in animis hominum radices egerat, eas ut extirpare, ac revellere sanctissimi Patres, ac Pontifices non nisi difficillime possent, quare non modo non reprehendendi, sed etiam magnopere laudandi sunt, si ipsi Deorum simulachra vel comminuenda, vel demolienda curayerunt: quæ suo ipso rum

rum aspectu in hominibus impia superstitionis cultum quotidie renovabant, & Christianæ pietatis igniculos, siqui à patribus accensi fuerant, extinguebant. Fuisse autem bonam magnamque partem Deorum Signa, quæ eversa sunt, inde intelligimus, quod publicè nullis ferè statuæ decerni consueverant, nisi iis, qui propter præclara in Remp. merita eo honore non indigni esse crederentur: privatim autem, qui aut domi, aut in sepulchris, aut in hortis sibi vel suis statuerent, haud sanè multos, nisi ex nobilitate, qui hujusmodi honorem sibi ambitiosissime expetebant, extitisse, ex eo concicere possumus, quod quæ hodie humi obrutæ reperiuntur, omnes fermè vel Veneres, vel Apollines, vel Joves, vel Mercurii, vel Bacchæ, vel Satyri, vel aliud quidpiam hujusmodi sunt, quod aut ad eam superstitionem, aut ad aliquam Gentilitatis fabulam pertineret. Ut mirum videri non debeat, si in demolitiendis evertendisque hujusmodi Signis, quæ plurima erant, ea quoque humi dejecta sunt, quæ præstantibus virtute viris posita fuerant. Nam si ad delendum ex hominum memoria Deorum cultum in impietatis monimenta sœviendum erat, difficillimum profectò fuit cavere, ne unâ cum hujusmodi simulachris illustrium viorum statuæ, quarum tamen ingentem numerum à Genserico Vandalorum Rege, ut in Aphricam, & à Constante Constantini, & Gregorij filio, ut in Siciliam aveharentur, sublatam fuisse legimus: quarum illæ in mari Aphrico, hæ in freto Siculo adversis tempestatibus demersæ sunt. Illæ etiam, quæ in Adriani mole & plurimæ, & pulcherrimæ spectabantur, quo tempore Vittiges Gotthorum Rex Romanam obsidebat, in fragmenta ab obsessis diffractæ sunt, & in obsessorum oppugnatorumque capita devolutæ. Ut hæc hujusmodi Statuarum eversio jam non in unum Pontificem Gregorium, sed in Vandalo, in Græcos, in Romanos ipsos conferri debeat. Ut igitur quæstionem hanc conclu-  
 damus,

damus, quantum conjectura assequi possumus, existimamus statuas omnes, quæ Gentilium Deos nobis effingebant, partim Gregorii, atque aliorum Pontificum jussu, partim à populo ipso Christiana pietate jamdudum imbuto vel comminutas, vel disjectas, vel terra obrutas fuisse, quo facilius tam nefaria superstitione funditus tolleretur, quando eam ab humani generis hoste non solum mordicus retentam, verum etiam variis artibus ad ætatem ipsius Gregorii in Urbe propagatam inde perspicimus, quod Bonifacius IV. qui aliquot annis post Gregorium Pontifex fuit, Pantheon Cybeli, ac reliquis Diis Gentium consecratum, à Phoca Imp. impetravit, ut ea superstitione liberatum & expiatum Mariæ Virginis Deiparæ dedicaret. quod certè fieri non oportuit, si nullæ omnino Gentilitatis reliquiae superesse putabantur, piè igitur sancteque tum Gregorius, tum alii Pontifices fecerunt, quibus ita mandantibus, ac suadentibus Populus Rom. Deorum Signa vel evertit ipse, vel ab aliis everti passus est. quorum pietatem Pius V. & Xystus V. Pontifices Max. sic imitati sunt, ut eorum alter ex ædibus Vaticani hujusmodi omnes statuas aliò amandare cogitaverit; Alter è turre Capitolina incredibili sua cum laude dejici iussit. Quod si nunc ferri non debet, ut publicè spectentur, cum superstitionis & impietatis illius cultus nulli planè in animis hominum resident, quid tum fieri oportuit, cum multi adhuc superercent, qui execrabilis illos ritus ceremoniasque aut colerent ipsi, aut à majoribus suis coli meminissent? Ego verò cum summi illius, ac sanctissimi Pontificis factum ipsum per se præclarum, atque divinum, tum nobis expositum ad imitandum statuo. Atque utinam idem præstare sine veteris Historiæ, ac philosophiæ bonarumque arrium amissione, ac sine Græcæ & Latinæ linguae damno in abolendis iis libris potuisset, qui tam diræ superstitionis memoriam ad nos propagaverunt, nihil enim dubito quin

E

idem

idem magno cum Rep. Christianæ bono præstisſet. Patres certè Societatis Jesu, quos Christianæ pietatis acerrimos, doctissimos, ac prudentissimos assertores nemo non agnoscit, & prædicat, præterquam quod Deorum statuas, & imagines in lapone, ut insulanos à superstitione ad Christi cultum deducant, comminuendas & delendas curant, eorum etiam scripta importari prohibent, è quibus Gentilium superstitionem agnoscere, atque haurire queant, magnum enim momentum ad veram pietatem affert impiorum rituum, ac falsorum dogmatum ignoratio: quorum nullum vix cognosci potest, quin adolescentulorum animi fideles, ac simplices aliquam labeculam contrahant. Atque haec tenus de Statuarum eversoribus. Deinceps videndum est quos nam fuisse opinemur, qui Theatra, qui Circum, qui Thermas, qui Aquæductus, & Obeliscos exciderit, & antiqui operis intactum nihil in Urbe propemodum reliquerit. Cumque ex superiori disputatione perspicuum sit nullo modo posse hujusmodi culpam in barbaras, atque externas nationes conferri, opera precium erit, ut tantarum substructionum usum indagenuis. illo enim patefacto ac demonstrato, haud difficillimum fuerit conjecturæ de iis faciendæ aditum aprire, & ad veritatem ipsam, quam quærimus, proximè accedere. Atqui nemo est veteris memoria tam rudis, atque expers, qui ista nesciat. Ego ut mihi scribendi, cæteris legendi laborem demam, non ad usum, sed ad abusum ante oculos exponendum non pigebit Lactantii verba ex libro VI. De vero cultu excerpta hic adscribere. *Voluptas* (inquit) *oculorum varia & multiplex est, quæ capitur ex aspectu rerum, quæ sunt in uisa hominum vel natura vel opere delectabiles. Hanc Philosophi rectissime sustulerunt. ajunt enim multo esse præclarus & homine dignius Cælum potius, quam calata intueri. sed cum disserè ab contemptum terrestrium nos exhortati sunt, & ad Cæli spectaculum excitarunt, tamen spectacula haec publica non contem-*

contemnunt, atque his & delectantur, & libenter intersunt. Quæ quoniam maxima sunt irritamenta vitorum, & ad corrumpendos animos potentissime valent, tollenda sunt nobis: quia non modò ad beatam vitam nihil conferunt, sed etiam nocent plurimum: Nam qui hominem quamvis ob merita damnatum in conspectu suo jugulari pro volupte computat, conscientiam suam polluit, tam scilicet, quæ si homicidii, quod sit occulè, spectator & particeps sit. Et paulo post. Quæro nunc an possint pii, & justi homines esse, qui constitutos sub ictu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed efflagitare, feruntque ad mortem crudelia, & inhumaña suffragia, nec vulneribus saiat, nec cruento contenti. Quin etiam percussoj jacentesque repeti jubent, & cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulata morte deludat. irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter è duobus alter occisus est, & tanquam humanum sanguinem efficiant, oderunt moras. alios illi compares dari poscunt recentiores, ut quæ primùm oculos suos satient, hac consuetudine imbuti humanitatem perdidereunt. itaque non parcunt etiam innocentibus, sed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt. Hæc iile de spectaculis, in quibus vel in Theatro, vel in Circo gladiatorum munus populo exhibebatur, ac mox ex hujusmodi disputatione occasionem sumit, ostendendi, non licere Christiano homini homicidiam esse, quod modo licet, nec interesse omnino conceditar, ne conscientiam perfundat ullus crux. siquidem populo sanguis ille præstatetur. Atque his, quæ à Laetantio dicta sunt astipulatur Tertullianus capite IV. De Spectaculis, in quo non minus à pietate, & à Christi cultu excidere illum affirmat, qui spectator in Theatrum vel in Circum accedit, quæ illum, qui vel Capitolum vel Serapeum sacrificator vel adorator intraverit. idem Cæcilius Cyprianus testatur in quadam epistola ad Donatum, in qua de hujusmodi spectaculorum immanitate, ac

perditissima lascivia sic disputat, ut ab eis Christianum hominem longissime repellat. ut mirum non sit si Tertullianus Theatrum, propriè sacrarium Veneris appeleret. quando & Lactantius. In scenis quoque (inquit) nescio an sit corruptela vitiösior. nam & Comicæ fabulae de stupris Virginum loquuntur, aut de amoribus meretricum: &, quo magis sunt eloquentes qui vicia illa finixerunt, eo magis sententiarum elegantia persuadent, & facilius inherent audientium memoria versus numerosi & ornati. item Tragicae historiae subjiciunt oculis paricia & incesta Regum malorum, & cothurnata scelera demonstrant. Histrionum quoq; impudentissimi motus quid aliud, nisi libidines, docent, & instigant: quorum enervata corpora, & in muliebrem incessum habitumque mollita, impudicas faminas dishonestus gestibus mentiuntur. Quid de Mimiis loquar corruptilarum præferentibus disciplinam? qui docent adulteria, dum singunt, & simulatis erudiunt ad vera? Quid juvenes aut virgines faciant, cum & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? admonentur utique, quid facere possint, & inflammantur libidine, quæ aspectu concitatur: ac se quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat, probatque illa, dum rident, & adhaerentibus viciis corruptiores ad cubicula revertuntur. nec pueri modo, quos præmaturis viciis imbuī non oportet, sed etiam senes, quos peccare jam non decet, in talem viciorum semiram dilabuntur. Circensum quoque ludorum ratio quid aliud habet, nisi levitatem, vanitatem, insaniam? tanto namque imperio concitantur animi in furorem, quanto illic imperio curritur. Ut jam plus spectaculi exhibeant, qui spectandi gratia veniunt, cum exclamare & efferrri, & exilire cœperint. Vitanda ergo spectacula sunt, non solum ne quid viciorum pectoribus insidat, que sedata & pacifica esse debent, sed ne cuius nos voluptatis consuetudo deliniat, & à Deo, atque à bonis operibus avertat. Nam ludorum celebritates, Deorum festa sunt. siquidem ob natales eorum, vel exemplorum novorum dedicationes sunt constituti. Et primitus quidem

quidem Venationes, quæ vacantur munera, Saturno attributa sunt: Ludi autem scenici: Libero: Circenses Neptuno; paulatim vero & ceteris Diis idem honos tribui cæptus est. singulique Lundi numinibus eorum consecratis sunt. Si quis igitur spectaculis interest, ad quæ religionis gratia convenitur, discessit à Dei cultu, & ad Deos se contulit, quorum natales, & festa celebravit. Hæc & plura Lactantius; quæ nos docent Theatri, & Circi spectacula non solum à piis esse fugienda, quod animos foedissimos vitiis, contaminent, sed etiam quod spectari non possint quin Idololatras nos esse fateamur. quo nihil esse scimus Deo odiosius. Ergo quicunque tandem ii fuerint, qui Theatrum, & Circum everterunt, gratissimum Deo Opt. Max., fecisse existimari debent. quando, ut auctor est Tertullianus, & ipse met Circus Soli προστομέως consecratus fuerat, & singula Circi ornamenta singula erant Deorum templo. Ova, hoc est Aedes ad ovi similitudinem exædificatae, Castori, & Polluci: Delphines Neptuno: Tres aræ Diis Samothracibus: Obelisci Soli & Lunæ: Euripus Matri Magnæ adscribebatur. Apud Metas Consus sub terra delitescebat, in medio spatio Aedes Soli consecrata visebatur, cujus fastigio Solis effigies imposita sub Dio longè lateque collucebat, nec Murtiæ, hoc est Veneris simulachrum aberat. Quamobrem nihil illic spectari poterat, quod humani generis hostis sibi non vendicasset. Etenim præter hæc, quæ & à Cassiodoro & à Tertulliano commemorantur, P. Victor multas alias Deorum ædes in eadem undecima regione, quam eandem cum Circo Maximo fuisse scimus, enumerat, Mercurii scilicet, Ditis Patris, Ceres, Proserpinæ, Portumni, Herculis, Junonis, Matutæ, aliorum. An hæc omnia cum incredibili Christianæ pietatis detimento sarta tecta servari oportuit, ut Urbis ornamen-  
to consuleretur? & quo in loco sedem vera Religio collo-  
caverat, in eo diræ superstitionis monimenta spectanda fue-

rant? immò verò sic abolenda, ut ne vestigium quidem ullum supereesse pii Pontifices paterentur. Quorum principem maximum illum Gregorium fuisse arbitrò: tūm quòd tam illustre, tamque pium factum cum ejus pietate, ac doctrina consentit, tūm quòd Aedes ipse suas, quas propè Circum Maximum habebat, cultui divino dedicavit. præterquam quòd non desunt, qui affirment Sabinianum, qui Gregorio in Pontificatu successit, in animo habuisse Gregorii acta omnia rescindere: quòd ad id agendum à quibusdam instigaretur, qui ægrè ferrent, quòd Signa, quæ passim in Urbe spectabantur, dejici omnia & confringi jussisset. id quod nos paulo ante ad summam ejus Pontificis gloriam fuisse verum opinabamur. Cujus opinionis, dum in ipsius vitam, & sanctitatem intuebor, me nunquam poenitebit. Cæterum ut sine ulla dubitatione affirmare posse videor, vel Gregorium, vel alium quemvis eorum temporum Pontificem, vel ipsos met Romanos, qui Christo Deo se addixerant, piorum patrum cohortatione, atque instinctu concitatos, Theatrum, & Circum evertisse, ita etiam eosdem fuisse arbitrò, quorum opera Thermæ corruerint. Nam ut omni Deorum cultu, & superstitione liberæ essent, magnam certè peccandi occasionem iis, qui se ad eas contulissent, afferabant. De quibus Apuleius. *Nudati* (inquit) *& flamme largissime vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo peruncti mensas dapibus largitur instructas accumbunt.* Sed & antiqui operis statuas illic non defuisse quæ vel ad superstitionem, vel ad lasciviam homines invitarent Poëtæ cujusdam Græci carmen testatur.

"*Ην τὸ πάρθον φιλέεσκες ἄρες σποτίας κυθήρην  
Ενθάδε λουομένην νάμασι Φαιδροτάτοις  
Δέρκεο νυχομένην. μη δὲ δεῖδιθι. οὐ γὰρ Αθήνην  
Παρθένον εισοράσεις ὅιατε τερεσίας.  
Hac nos, ut potuimus, Latina sic fecimus.*

Quam

*Quam prius ardebas Venerem Mars aspice Divam.*

*Hic se dum puro flumine nuda lavat,  
Aspice nantem illam: nec jam vereare futurum, ut*

*Insactam aspicias Pallada Tiresias.*

Multæ igitur in balneis ad voluptatem illecebræ multa luxuriæ irritamenta, quemadmodum his verbis testatur Seneca. *Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muriæ stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus. Voluptatem latitantem sapientem, ac tenebras captantem: circa balnea ac sudatoria, ac loca Aedilem meruentia, mollem, eneruem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentum pollinetam.* Hæc Seneca morum gravissimus magister. Sed & apertius Iuvenalis Satyra VI. nullam turpitudinem abfuisse ostendit à balneis, quippe quas viri & mulieres una frequentare, & promiscuas habere confuevissent. *Balnea nocte subit: conchas & castramovere Nocte iubet: nago gaudet sudare tumultu. Cum lassata gravis ceciderunt brachia massa Callidus & crista digitos imprestit Alpites Et summum domine femur exclamare coegit.* Possem ad idem ostendendum multa ex Martiale hic, adscribere nisi me verborum obscenitas, qua ille licenter utitur, deterreret. Verecundius omnino Paulus Silentarius, cuius epigramma non malum extat de promisculo virorum & mulierum balneo.

"Αγχιμὲν ἐλπὶς ἔρωτος. ἐλένη δὲ ὄνκεσι γυναικαῖς

"Εἰρήνη πυλίς παφίνη τὴν μεγάλην ὀλίγην.

"Ἄλλ' ἔρπης, γυλικὸν τούτο, ποτοβλήτοις γάρ εἰς ἕργοις,

"Ἐλπῶντος ἀληθέτης εἰς μελιχρότερην.

Quæ nos cum jam inde ab adolescentia in totidem versus ludentes converterimus, qualiacunque sint, in hunc locum conjicere voluimus, ut qui Græcè nesciunt, ex his intelligent id, quod de balnearum licentia & lascivia scribimus, non esse commentitium.

spes

*Spes prope amoris adest. Sed nullam invadere fas est.*

*Arcuit ingentem portula parsua Cypri.*

*Hocce tamen dulce est. reij spes nanque capite,*

*Quam res ipsa animo suauior esse solet.*

Sed in re tam clara quid opus est Poetarum testimonij uti, cum Clemens Alexandrinus præsto sit, qui Cap. V. Libri III Pædagogi mulieres scribat spectari nudas in balneis consueisse, cum se in iis exvere, & sui inspiciendi potestatem facere illis, quise cōlavatum contulerant, tanquam quibusdam corporum cauponibus non erubescerent, itaque fiebat, ut cum viris & fœminis communes essent balneæ, ibi omnes omnem temperantiam exverent, quando ex ipso potissimum aspectu amor in hominibus excitatur, quemadmodum testatur Cyprianus in eo libello, quem de habitu Virginum scripsit, *Quid verō (inquit) que promiscuas balneas adeunt, que oculis ad libidinem curiosis pudori & pudicitiae corpora dicata prostituunt, que cum viros, atque à viris nude vident turpiter, ac videntur, nonne ipse illecebram vitijs prestant? nonne ad corraptelam & injuriam suam desideria presentium sollicitant, & invitant?* Hæc virile sanctissimus, quæ, quā turpiter & flagitiose balneæ frequentarentur, ostendunt, ve- riū ut impudicorum impudicarumque celeberrimi con- ventus dici possent, quam sudoris & corporis sordium lava- crum. neque enim corpora tantum lavabantur, quantum inquinabantur animi, & in omnem turpitudinem præcipi- tes cerebantur. Quamquam autem & Imperatoriis & Cen- soriis legibus cautum aliquando fuit, ne fœminæ cum viris lavarent, ne ve promiscuis balneis eum viris uterentur, essentque balneæ separatim exædificatae, quas illæ tantum adirent, tamen quia leges in desuetudinem abeunt, & tacito consensu obliterantur, & sibi indulgendo homines licen- tiores fiunt, satius omnino fuit hujusmodi loca funditus evertere, quā occasionem tam improbè peccandi libe-

ram

ram relinquere. Non possum igitur satis mirari eorum prudentiam, & sanctitatem Pontificum, quicunque ii fuerint, qui Caracallæ, qui Diocletiani, qui Constantini aliorumque Thermas, & balneas evertendas curaverunt, sedes scilicet, & latebras luxuriæ, intemperantiæ, & flagitiis consecratas. Non est igitur dubitandum quin talium ædificiorum eversio & vastitas, quando neque Gotthis, neque Vandalis, neque Germanis attribui potest, eorum opera consecuta sit, qui, Christiani cum essent, hujusmodi scelerá ferre, neque poterant, neque debebant. Quod autem ad Aquarum ductus pertinet, ut hæc quoque ad ea, quæ superius diximus, addamus, alia omnino causa est, quam obrem plerisque in locis dilapsi corruerint. Etenim substructiones illæ multis erant per se se incommodis, & periculis obnoxiae, quando aut vetustate, aut vi tempestatum, aut gelicidiis, aut caloribus expositæ dilabuntur: aut succrescentibus arborum radicibus laxantur. Interdum etiam qui prædia aqueducti propinqua incolunt, & lateres, & saxa ex iis ad ædes ruri exædificandas, vel ad aquam suffurandam eximunt, qua suos ipsi hortos & prata irrigent. ex quo fit, ut, proxima quæ sunt, commoveantur, & ruinam struant. Itaque ad hujusmodi Ductuum tutelam Villici, Castellarij, Curatores, Silicarij, Testores, aliquique opifices adhibebantur: magnusque præterea custodum numerus, qui duabus familiis continebatur, altera publica, altera Cæsaris: ut ad eos alendos & annuis pensionibus & salariis prosequendos immensos sumptus fieri oportet. Atque hoc qui sibi copiosius explicari xoluerit, is librum Julii Frontini de Aqueductibus secundum consulat, ex eo enim intelliget hujusmodi substructiones non nisi incredibili impensa servari integras posse. Ut Repub. & ad inopiam, & ad ingenitem incolarum, & civium paucitatem redacta, necessariò

F

COR-

corruerint; cum præterea nemo esset, qui eas aut ab iniu-  
riis, quas supra commemoravimus, tueretur: aut aliquo  
casu labefactatas, & collapsas restitueret: id quod florenti-  
bus etiam Populi Romani rebus non semel accidisse ex mul-  
tis inscriptionibus cognosci potest. quæ cum omnibus in  
promptu sint, nihil necesse est, ut hic à nobis recitentur.  
His ad hanc rationem absolutis, superest, ut ea disputatione  
scriptionem hanc nostram terminemus, quæ ad Obeliscos  
potissimum pertinet. Nam si illi ad tollendam supersticio-  
nem, cum Diis dicati essent, Pontificum jussu eversi sunt,  
quæ cauſa fuit, quamobrem iidem Pontifices Obelisco  
Vaticano pepercerunt? quem suo loco stantem vidimus ne-  
tantulum quidem ulla ex parte læsum? neque enim ex isti-  
mare possumus ceteros Obeliscos vel terræmotu, vel ful-  
mine dejectos esse, cum vestium, & ferramentorum vesti-  
gia, quibus eversi sunt, adhuc existant in infimæ partis late-  
ribus, quæ basim spectant. Hic, quamquam historia nos  
nihil adjuvat, ex historia tamen ea petemus, quibus conje-  
cturam fulciamus, & quo ad à nobis fieri poterit, proxime  
ad veritatem accedamus. Nemo autem est, qui ignoret,  
tum Gregorium, tum Pontifices, qui eum vel antecesserunt,  
vel consécuti sunt, permultos, Imperatorum Byzantino-  
rum potentiam usque adeò semper pertinuisse, ut magnopere  
caverint ne qua in re illos laderent. quando eorum  
nonnulli per summam injuriam Roma evocati, vel in car-  
cerem conjecti sunt, vel in exilium missi, cum aliis permulti,  
tum Joannes, Sylverius, Viglius, & Martinus eorum nomi-  
num primi. Quòd itaque vererentur, ne qua in re apud  
eos Imperatores offenderent, satis habebant ea ædificia, &  
moles excidere, quæ summa ipsorum Imperatorum volun-  
tate extingui poterant. cuiusmodi fuerunt Theatra & Bal-  
neæ; quæ, cum impie peccandi materiam hominibus sub-  
mini-

ministrarent, à Christianis Imperatoribus facile impetratum est, ut tollerentur. id quod iis etiam Obeliscis contingisse probabile est, qui, Gentilitatis cultui, & superstitioni dicati cum essent, summo Justiniani, & cæterorum Imperatorum, qui Christianæ pietati se addixerant, consensu sublati sunt. scimus autem duos illos Obeliscos, qui in Circo Maximo statuti fuerant Soli unum, alterum Lunæ, ut supra diximus, fuisse consecratos. id quod etiam de eo, qui in Hortis Sallustianis spectabatur, memoriarum proditum fuit, idemque de cæteris existimari par est; ut in Commentariolo illo nostro de Obelisco demonstravimus. At Obeliscum Vaticanum Augusto D. F. ac Tiberio Impp. ex ipsa Inscriptione à Caligula dicatum fuisse constat, ut, cum nulla superstitionis vestigia in eō residerent, dejiciendi ejus caussam Pontifices non habuerint. Cæsarum itaque nomen fuisse, quod illum integrum, atq; incolumem servavit, verisimile est: quemadmodum etiam Trajani, & Antonini columnas Cochrides, triumphales Arcus Titi, Domitiani, Severi, Gordianorum. ad quorum eversionem nihil omnino erat, cur Pontifices magnopere incitarentur. Atque hæc de Obeliscis, quæ mihi maxime probabilia visa sunt. Nunc quoniam à multis quæri video, quo pertineant ea quadrata Cava, & à quibus facta sint, quæ in Amphiteatro, nonnullisque aliis publicis ædificiis plurima existunt, non inviti conjecturam nostram hic apponemus. Extant Epistolæ Cassiodori duæ Theoderici Regis nomine scriptæ: Una ad Senatum Urbis Romæ: Altera ad Symmachum Patritium. In hac saxa inter se sic esse commissa scribit, ut, cum commissuræ non appareant, tota illa moles natura extitisse videatur: In hac illa vero ad Senatum, Aeris non minimum pondus, & quod propter mollitudinem diripi facillimè potuit, è mœnium ornatu plumbum fuisse exemptum queritur,

F 2

Siquis

Siquis igitur conjecturæ locus est, non inepte, ut mihi quidem videtur, nec sine argumento existimari poterit hujusmodi Cava, quando omnia propemodum in lapidum commissuris sunt, & ad commissuras contegendas, & ad ædificiorum, & immanium illarum substructionum ornatum sic ære, & plumbo fuisse obstructa, ut spectantium oculis mirabiliter affulgerent. Vale Romæ Jd. Maij 1587.

FINIS.

